DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. FEBRVARII.

M. ROLANDO MERLET, Doctore Medico, Præſide.

An panis, aqua, vita Beata?

TVNC homines beatos & ſanos ſe exiſtimant, cum in vitæ functionibus non præpediuntur, nec torquentur doloribus. Et ſane ſumma humanæ vitæ fælicitas, quæ ſanitas eſt, vt abſoluta fuctionum animæ, & corporis integritate dignoſcitur, ſic & definitur: Nec hanc quippiam magis impedire poteſt, quàm maximus excrementorum prouentus, à quo ſpiritus, præcipua animæ organa, inficiuntur, & meatus corporis infarciuntur; & ſic libero horum præpedito commeatu miſeram vitam homo tranſigit, & natiuo calore penè ſuffocato luridâ bile ſuffuſus, vel albâ pituitâ tumidus, mortuo fere ſimilis ad cymbam progreditur.

VARIETAS alimentorum vt prauorum ſuccorum, ſic & morborum varietatem parit: quare in eligendis cibis, & in exhibendis, ſummâ eſt vtendum cautione; atque ideo non ſolùm quantitatis & qualitatis, ſed & quoque præparationis, temporis, & ordinis eorum eſt habenda ratio; alioquin cruditas & confuſio, fieret non coctio, ſi coctu difficilia facilioribus præmitterentur, ſolida liquidis, & aluum aſtringentia lubricantibus, necdum confectis prius ingeſtis eduliis alia denuò intruderentur, & niſi ad id impelleret fames, quam & ſitim diuerſa coquorum condimenta, irritare potius valent quàm explere, nihil verò melius conducit vtrique ſedandæ quàm panis & aqua.

PANIS inter alimenta vt neceſſitate, ſic & ſalubritate primarium locum jure merito ſibi vindicat, maximè ſi ſit confectus ex optimo tritico, quod ſit colore aureum, conſiſtentiâ denſum, graue, & durum, nec recens nimis, aut vetuſtum, nec ex ſolo pingui collectum, & ante triturationem lotum, & poſtea optimâ & copioſâ aquâ ſubactum, hanc ob cauſam cæteris Panis Gonetiacus eſt præferendus; vt fermentatus, azymo; Salitus, non ſalito; in furno coctus, focario; & qui compactus ex farina, tenuiori incerniculo excuſſa, & Piſtrinis aquaticis potius quam æolicis comminuta. Hic panis vt laudabile, ſic & firmum & minime excrementitium corpori alimentum ſuggerit, nec tantum ſolidam, humidam, & ſpirituoſam ſubſtantiam valet reparare, ſed & inſuper inter condimenta quoque poteſt recenſeri.

AQVA omnia per omnia nutrit, vt ignis omnia per omnia mouet: inde ὄχημα τροφῆς poteſt vocitari. Verum non tantum cibis diſtribuendis & diluendis aqua inſeruit, ſed & duabus qualitatibus quibus pollet, ſitim ſedat, & natiui caloris humidum primigenium depaſcentis actionem remoratur: hinc hydropotæ viuaces. Et cum è cœlo & terrâ aqua poſſit profluere, terrenæ anteponenda cæleſtis, maxime illa quæ Ioue tonante decidit, & in ciſternæ puriſſimâ arenâ defœcatur: quæ cum non ita frequenter occurrat, vtendum fontanâ cujus origo verſus orientem ſolem ſpectet, & in domum per tubos fictiles potius quam plumbeos deferatur: vel fluuiali; quæ vt panis alibilem ſuccum cito diſtribuit, ſic & humidæ ſubſtantiæ jacturam reſarcit. Hic potus facilis & ſalutaris: nam (vt vinum) caput non tentat; nec ventrem grauat, ſed roborat; nec appetentiam deijcit, ſed excitat.

HOC facile parabili conuiuio primorum ſæculorum homines longam & ſanam vitam traducebant, & nundum repertâ variâ & multiplici obſoniorum & ciborum copiâ, multi morbi ignoti erant, aut non ita frequenter; quare fælix, panis & aquæ conjugium, quod vt ciborum & vinorum varietas fœturam morborum non parit, ſed ſanguinem optimum, temperatam & duram carnem procreat. Hic cibus vt ſat facile coquitur, ſic cito diſtribuitur & firmiter aſſimilatur, nec multum nocitura excrementa reponit. Ευπόριστος & μονοειδὴς hæc menſa ſobriis ſufficiet, ſed non lurconibus & abdonimi natis, quibus ſi non ſatis ampla & grata videatur, expectanda erit fames, quæ ſuauem reddat, vel condienda labore quem excipiet ſomnus tranquillus, vini ciborumque vaporibus minime perturbatus. Tunc ad ſatietatem reficere ſe licebit, cum panis repletio & corruptio, carnium corruptela ſit minus periculoſa, & hic conuictus facilis corpori non tantum prodeſt, ſed & mentem multis beat commodis cum tamdiu ſit mens ſana in corpore ſano.

Ergo panis & aquà, vita beata.

Aſſerebat Lutetiæ ANTONIVS LE MOINE, Pariſinus, A. R. S. H. M.D C. LXIII.